



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

10 De consulente homicidium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

De Consulente Homicidium.

CAPVT X.

NOTANDVM primò, ex consilio in delictis quis tenetur. *cap. Nuper, de Hæret. excom.* Vnde non solum est reus homicidij, sed irregularis.

Secundò notandum, differentiam esse inter mandantem, & consulentem homicidium; quod consulens, si non firmiter credit, quod locum habeat reuocatio consilij, tenetur monere occidendum, vt sibi caueat, ne sit irreg. ar. sicut mandans satis est, vt reuocet expresse, vel tacite mandatum, id sciente mandatario. Consulens igitur non satisfacet reuocando consilium, sed tenetur persuadere contrarium. Nam consilium datur gratia eius, cui consulitur: qui non tam citò credit ei, qui contrarium suadet: at mandatum fit gratia eius, qui mandauit: Vnde sufficit, vt mandatus sciat voluntatem mandantis esse contrariam. Sylu. Angelus, Nauarrus, *Contrauiuas vbi supra, s. 3.*

Tertiò notandum, esse dubium inter Auctores, An qui dedit consilium, alioqui facturo delictum, sit eadem pena puniendus, quia is qui dedit consilium alioqui non facturo delictum, aliis asserentibus eadem pena esse puniendum, aliis verò negantibus. De hac tamen re dicemus in materia de irregularitate. Verum quidquid sit de hac re, dicendum est quod spectat ad culpam homicidij, & onus restituendi; is tenetur, quando sine eius consilio delictum factum non fuisset, quod si perpetratum fuisset absque eius consilio, peccauit qui consuluit, eò quod consuluit delictum, sed liber est ab onere restituendi, vt dicitur in materia de restitutione, si homicidium alius parauit, non motus eius consilio. Sed si reuera motus est eius consilio, etiam si alioqui delictum esset facturus, tunc non est liber ab onere restitutionis, vt ibidem.

Quartò notandum, quando consulens homicidium intrinsecè irregularitatem, & quando non, dicemus in tract. de Censur. *Cap. an. Eccles. in materia de irregularitate.*

De Auxiliante, aut cooperante ad homicidium.

CAPVT XI.

PRI-MO notandum, quoties plures præmissò consilio eundem hominem sunt aggressi, & ille ex vnicò tantum vulnere mortuus est, tenentur omnes, etiam si non percussissent, de homicidio, quia se omnes iniecitunt, & ex còmuni consilio perpetratum est homicidium, licet ab vno.

Secundò notandum: Quando vnus est percussus à pluribus in rixa subito contingenti non præmissò consilio, & cõstat quodnam ex tot vulneribus sit lethale vulnere, & quis illud intulerit, is tenetur de homicidio, ceteri de percussione tantum.

Tertiò notandum, quando quis ab vno lethali vulnere percussus, & ab altero exanimatus, & occisus est, posterior tenetur de homicidio, prior de vulnere, *lege c. Significasti, de Homicidio, & Contrauiuas loco citato.*

De Non impediente homicidium.

CAPVT XII.

PRI-MO notandum: Medicus, qui non vult curare ægrotum, cum commodè possit: Diues, qui non succurrit extreme indigenti cibando, vel potando, vel vestiendo, vel aliter iuuando misericorditer: Item qui non defendit innocentem periclitantem: Item qui non subuenit peste, vel naufragio, vel incendio laborantibus, cum commodè possint, peccant quidem hi contra charitatem debitam proximo, non tamen tenentur ad restitutionem, Nauarr. *cap. 27. nu.*

231. Antonin. 3. par. tit. 28. c. 2. quia hi omnes non peccantur contra iustitiam debitam proximo.

Secundò notandum: Qui suo testimonio aliquem ab iniusta morte liberare potest, & non vult testificari id quod nouit extra confessionem Sacramentalem, etiam non requisitus ad testificandam, cum commodè testificari queat, neque saltem facit, quod in se est, denunciando veritatem ei, qui potest prodesse innocenti damnato ad mortem, peccat contra charitatem, licet non tenetur ad restitutionem. Nauarr. *cap. 15. num. 27. ex S. Thoma 2. 2. q. 20. art. 1. Gab. 4. dist. 15. q. 6. art. 2. Conclus. 47.*

Tertiò notandum: Qui non impedit homicidium, quando ex officio iustitiæ tenetur impedire, non solum est reus homicidij, sed etiam quia tunc agit contra iustitiam debitam proximo, tenetur ad restitutionem. v. g. Iudex qui non impedit sententiam iniustam contra vitam innocentis: testis iudicis requisitus occultans veritatem: Dux non impediens bellum iniustum: Rex non impediens neces, & carceres innocentium subditorum: Medicus stipendio conductus in specali ad curandum eos, qui sunt peste, vel morbo pressi, non curans eos: naua non succurrens naui in periculo naufragij. Sylu. *verb. Homicidium, l. q. 6. & communis opinio.*

Quartò notandum: Qui scit tractari de alicuius morte iniqua, & non significat illud ei, aut saltem alteri, qui possit prodesse, peccat contra charitatem, quando commodè potest monere, armum sine periculo suo, vel suorum, & non mouet non tamen obligatur ad restitutionem: Sylu. *Homicidium, l. q. 10. Nauarr. cap. 24. num. 234.*

Vltimò notandum: Qui domi suæ aliquid custodit feram aliquam beluam, v. g. leonem, vltum, aut elephantem, & est in culpa, an non diligenter custodiendo, aut soluendo illa effera animalia tam noxia, & illa soluta vinculis, aut liberè egressa occidant aliquem, reus est homicidij, vt communis est opinio, & tenetur ad restitutionem.

De Homicidio factò in ebrietate, amentia, aut ignorantia.

CAPVT XIII.

PRI-MO notandum, quod ebrietas potest accidere ex culpa, quia quis se sciens, ac volens inebriauit, & potest accidere absque vlla culpa, quia bona fide bibit, nec credidit se ex potu ebrium futurum.

Secundò notandum, Cum quis ex culpa se inebriat, aut id contingit, quia voluit bibere vt se inebriaret: aut quia expertus se alias sepe tali potu in ebrietatem incidere, noluit modo à tali potu abstinere, aut probabiliter credens se in tali potu ebrium futurum bibere.

Tertiò notandum, eisdem modis posse aliquem in amentiam, aut furorē incidere, nimirum ex culpa, aut sine culpa, & ex culpa dupliciter, vt dixi de ebrietate.

Quartò notandum: Eodem modo ignorantia in aliquo, aut est culpabilis, aut absque culpa. Culpabilis est, cum quis habet eam, aut quia expresse voluit ignorare, & dicitur affectata ignorantia, aut quia diligentiam debitam non adhibuit, vt sciret, & dicitur crassa, aut supina; quia negligenter se habuit in sciendo, & ita tacite noluit scire, qualis eius est, exempli causa, de quo Propheta: *Plal. Noluit, aut intelligere, vt bene ageret.* Inculpabilis verò ignorantia est, quando quis adhibuit omni debitam diligentiam, adhuc rem ignorat.

Quintò notandum: Certum est apud omnes, quod si quis se inebriat, vt occidat, imputatur illi homicidium postea secutum in ebrietate, & imputatur illi non quia cum in ebrietate committit illud, vltum rationis habeat, sed quia voluntarium fuit in causa: nam volens se inebriauit, vt occideret.

Sextò notandum: Si quis expertus est, se in ebrietate exponi periculo occidendi alios, tunc si sua sponte inebriatur, etiam si non animo occidendi, imputatur nihilominus ei homicidium in ebrietate factum, quia

fuit